

minus leges renuntiationis iusta debeant iudicari. Contractus enim ex conuentione legem accipere dignoscuntur, vt est ex Iuris attestatione certissimum. Quando ergo Rex & emens ita contrahunt, vt lege statutum est, videat qui emit quid sibi expediat, non enim ad contrahendum adigitur: & quandoquidem sub illis conditionibus sibi expedire reputat emptionem, non est cur debeat in contractu aut ipse aut alius iniustitiam reclamare. Quamuis ergo fraudes desint, ius ad officium amittitur respectu renuntiatarij, ac heredum, quia sic conuentum est, licet fraudibus eo pacto sit intentum obuiari, quæ melius tali modo dispositionis vitantur, si videlicet prædicto modo feratur; quæ dicitur præsumptio iuris & de iure, iuxta satis vulgarem doctrinam: quamuis oppositum non videatur improbabile. Vnde si quis falso instrumento renuntiationem in suâ personâ factam probaret tempore requisito per legem; licet grauius in eo peccaret, in confessione scilicet instrumenti & illius vsu; officio tamen obtento, posset illud in conscientia retinere, ob communem sententiam de legibus in præsumptione fundatis.

Oppositum non improbabile.

Casus excipitur, vbi breuioribus p. si emptio nem.

174 In casu autem priore, quando videlicet quis non superiuit viginti dies, non videtur locus esse dispositioni legis, & ita immerito hæredes emolumentis officij priuantur. Quando enim adimpletio conditionis stare nequit, non nocet ei, per quem non stat defectus implementi. *Impurari non debet ei, per quam non stat, si non fecerat, quod per eum fuerat faciendum.* Regula 41. Iuris in 6. vbi casus plures apponit Glossa. Potest autem in euentu dicto contingere, vt quis renuntiauerit; & tunc quæstio oritur an valitura renuntiatione respectu illius, vel officium sit hæredum cum obligatione medietatis pretij persoluenda. Ad quod dicendum videtur non esse obligationem standi renuntiationi, nisi renuntiatarius sit etiam hæres: quia non est vnde obligatio oriri possit. Licet ex eo quod non fuerit locus dispositioni legis, id beneficij habeatur, vt non debeat officium amitti: ex eo tamen quod non stante spatio ad renuntiationem statuto, illa valida futura sit, tale quid non sequitur: deficiunt enim quæ pro valore renuntiationis, vt illius forma, statuta sunt. Sed certè casus est dubius, & ad forum iudiciale deducendus, ac pro renuntiatario sua etiam sunt fundamenta: vnde iudices poterunt quod sibi verosimilius videbitur, iudicare. Et ita circa hoc, grauamen conscientia nullum, pro quo inuestigando nos præsertim laboramus.

Quid pro praxi.

§. V.

An liceat renuntiatio facta in fauorem filiorum in eâ etate, in qua illi seruire nequeunt, dummodo per substitutum id prestare queant.

Circa renuntiationem in filijs seruire impotentibus, qui valida negant.

175 Aliqui negatiue respondent, & iuxta hunc sentiendi modum latam sæpius in Limano Pratorio sententiam affirmat Dom. Solorzanius *supra*, pag. 1002. §. Pero *sin embargo*. Et hoc quidem ante huius causæ decisionem, quæ iam extat quoad omnes, siue filios hæc con-

sanguineos, aut extraneos; vt videri apud eundem potest Pag. 1003. in fine. & Tomo 2. Lib. 5. num. 112. Dom. Escalonam §. 1. num. 9. & Antonium de Leon. *Traçtatu de Confirmationibus Regijs, Parte 2. cap. 22. num. 22.* Videtur autem decisio talis non penitus iustificata; quia leges Regni quoad Hispaniam contrarium statuunt, vt videri potest L. 41. & 42. Titul. 20. Lib. 2. & in Pragmaticâ, Ann. 1590. die 13. Iunij. Non patitur autem æquitas vt pro Indiis secus statuatur, cum non appareat ratio, quæ pro eo videatur vrgere: cum præsertim in venditione officiorum profiteatur Rex velle se publico bono consulere, nec proprium interesse circa illam ampliare, sed arctare potius: vnde prohibet quædam erga eandem fieri, quæ in Hispaniâ sunt vsu recepta, & ad maius interesse patrimonij Regij conducunt: vt videri potest apud D. Solorzanum Pag. 1001. Col. 1. & D. Escalonam §. 2. num. 5.

Schedula circa hoc non iustificatam videri.

176 Deinde, hoc quod Scheda recentior statuit, iam erat per aliam statutum An. 1581. de qua Dom. Solorzanus Pag. 996. in principio. Et tamen, eo non obtante, plures aliter censuerunt, ob graua fundamenta, quæ idem adducit Pag. 1002. §. En quanto, & seqq. Et tenuit expresse doctus & eruditus Antonius de Leon *supra*, cap. 8. Non videtur autem plus vrgere nouior decisio. Præterea, inconuenientia omnia, quæ ex renuntiatione tali timeri poterant, in venditione officiorum deuorantur: vendi enim possunt Minoribus, qui per substitutos feruiant, etiam in Indiis; cum enim casus exceptus non inueniatur, Iuri communi statuitur, per leges paullo superius citatas. Ex quo videtur fieri non esse illas magni momenti: si enim talia essent, non apparet credibile à Regijs Consiliariis permittebant. Vbi ergo est eadem ratio, eadem debet esse Iuris dispositio. Tandem, decisio præfata in Indiis ægrè recepta est, & pro eâ instanter supplicatum, vt testatur Dom. Solorzanus Pag. 1004. §. De la qual. Quando autem leges tales sunt, non videntur secundum omnem rigorem obligare, quia inuitis imponuntur: cum tamen in omni lege publicâ populi consensus requiratur: non enim inuiti possunt opprimi homines liberi & ingenui, qui occidi non possunt, vt loquitur Caramuel in Theologia morali, numer. 185. quod & tenent plures Doctores apud Dianam Parte 1. Traçtat. 10. Resolut. 1. & 2. quos & ille sequitur, vt videri potest Resolut. 2. §. Sed quidquid.

Ex aliorum sententia, alia pro eadem extante Scheda, robur additum, rationibus alijs.

Leges reuelantibus imponi nequeant.

177 Propter hæc videri alicui posset sententiam istam posse verosimiliter defendari. Sed certè, licet verosimilis sit, in praxi nulli esse adminiculo potest. Cum enim res ista ad forum exterius spectet, & à Regijs sit iudicibus agitata: illi proculdubio in fauorem Filij iudicabunt. Quid ergo Minor renuntiatario verosimile illud poterit suffragari? Item, cum lex hæc neminem grauet, nisi volentem grauamen tale spontaneè subire, dum contrahit non debet amare conueniri, & se iniuste grauatam proclamare. Vt num. 173. dicebamus. Et per hoc soluitur quidquid pro aduersâ sententia est adductum, & adduci potest. In Hispaniâ quidem contractum vult Rex currere aliter quam in Indiis; suo iure vitari, vt priuatus posset, si vtroque contractum cele-

Sententiam fauorabilem pro praxi nihil inane.

Contrariè fundamenta disticta.

celebraret; cum alijs pro discrimine prudentes possint occurrere rationes. Quod si æquitas vniuersitatem suadet, id est vbi de contractibus agitur, contrarias pro diuersitate locorum non habentibus qualitates; cum aliunde sint illi voluntarij, & neminem nisi volentem, & in re quidem maxime spontaneâ, grauent. Sicut autem contra æquitatem non censetur, quod priuilegia aliqua emptoribus Indicijs concedantur, quæ tamen in Hispaniâ non admittuntur, quia in vnaquaque terrâ suus vsus, vt notissimo proverbio circumfertur: ita similiter in casu, de quo loquimur, æstimandum.

Non esse idem inconueniens in renuntiatione, ac in venditione.

178 Inconuenientia autem, quæ similia in venditione & renuntiatione videntur, admitti quidem possunt: sed vt non deuorentur in renuntiatione, & in venditione admittantur, ea esse ratio potest: quia si quæ illa sunt, patrimonij Regij incrementis compensantur; quod inuenitur in venditione, & non in renuntiatione: in hac enim nihil plus Rex habet, quam si in beneficium cuiuslibet alterius fuisset renuntiatum: cum tamen in illâ, ex eo quod fiat in fauorem Minoris, plus debeat accipere, quam si in personam capacem fieret. Et vt demus nullum maius interesse fore; non vult Rex multiplicari inconuenientia, quæ in vno permitti ratio non incongrua compellit. Et hæc insuper lex inuitis non ponitur, vt ex dictis constat; cum nullus ad contrahendum nisi valde spontaneus accedat. Vt tacitam Caramueli doctrinam ab alijs improbari: inuitis enim leges imponi possunt, quando ad id iustæ causæ concurrunt, vt constat in omnibus legibus, quæ de gabellis, ac nonnullis alijs populo inuicundis, feruntur. Pro quo videri potest Diana Parte 9. Traçtat. 5. Resolut. 18. vbi cum multis affirmat posse leges inuitis imponi. Quod & quamplures ac grauissimi scriptores tenent apud eundem Resol. 1. citat. Quibus adde P. Palam Tomo 1. Traçtat. 3. Disput. 1. Puncto 13. Non est ergo cur debeat lex prædicta vt iniusta condemnari.

Inuitis posse leges imponi.

§. VI.

An qui officium emit, allegare possit enormissimam læsionem.

Læsionem quamlibet non posse ab emente allegari, quæ probent.

179 Aliquando illam contingere dubitari nequit; non quidem dolo vendentium, sed ignorantia facti, in officiis præsertim nouis, vt in officio Cancellarij Limanæ Audienciæ compertum: quod magno emptum pretio, exiguum emptori emolumentum præstitit. Circa quod negatiue resoluit D. Escalona §. 2. num. 8. cum alijs, quos citat in margine. L. L. & est quidem ita decretum per Schedulam Ann. 1609. & aliam 1617. apud eundem. Quod iustificari ex eo potest, nâ respectu Regis idem statuitur, & ita allegare nequit quantumvis enormem læsionem. Quod quidem intelligendum est de officijs vendi solitis, de quibus leges loquantur, non de alijs, de quibus num. 167. ne leges praxi contrariæ videantur. Nihilominus Dom. Solorzanus Pag. 1006. §. Pero *sin embargo*, affirmat in Limanâ Audienciâ huiusmodi expostulationes ad-

Contrariè praxi ratione sufficiens.

missas, & in fauorem expostulantium iudicatum, nihil contrarium Regio Consilio respondente: iuxta doctrinam grauium scriptorum asserentium, propter dolum, qui in huiusmodi contractibus præsumitur, non posse allegationem læsionis dictæ, etiam per Principis rescriptum excludi. Sed certè, cum non semper dolus sit, vt vidimus, ad aliud est solidius fundamentum recurrendum, quod ex ipsâ læsione desumitur adeo exorbitante: non enim iustitiæ conforme, vt ea non reparatur à Principe, in quo supremum emicat exemplar æquitatis. Nec videtur ex eo iustificari, quod Rex parem conditionem subeat, & se ad non opponendam læsionem adstringat: nam quid tandem sit ille facturus ignoramus: & præterea conditio non est æqualis. Nam licet patiatur ille læsionem, ius tamen ipsi ad recuperationem officij restat, quod per varios casus potest ad ipsum redire: quod secus accidit in emptore. Item, Regi reparatio læsionis in vno vel altero exigui momenti est, adeo amplum patrimonium possidenti: priuato autem magni est profectò momenti, qui in emptionem officij totam solet substantiam impendere, aut eximiam certè portionem. Notasse autem iuuat in prædicto Audienciæ iudicio non attentam Regij Concilij decisionem, vbi & ratio & commune ius contrarium videntur persuadere: vt hinc ad alia argumentum fieri queat, in quibus tamen hæc iudices solent, multatam, aut increpationem eiusdem Consilij formidantes.

Par conditio ex parte Regis ad iustificandum contractum non sufficit.

§. VII.

An officium renuntiare possit in fauorem Ecclesiæ, aut Religionis.

180 Circa hoc Dom. Solorzanus Pag. 1004. §. T de loque, & Tomo 2. lib. 5. num. 114. affirmat resolutionem iuxta dicta de Minoribus conformandam, propter rationem non solum similem, sed vrgentiorem. Excluduntur enim qui feruire per se non possunt de præsentibus; cum tamen processu temporis api esse possint: quod tamen in Ecclesiâ, & Religione locum habere non potest. Præterquam quod ius ad officia manet in fisco radicatam, vt si vacauerint, ad ipsum regrediantur: quod tamen stare nequit, si in eos, qui mori nequeunt, renuntientur. Præter repugnantiam, quæ inter officium tale, & statum sacrum apparet, ac diuersitatem fori, quæ non potest non Regijs esse iudicibus permolesta, quia litibus obnoxia; vtde non videtur credibile renuntiationem talem iuxta Regis esse voluntatem.

Non posse officium in Ecclesiam aut Religionem renuntiare, qui, & quæ probent.

181 Nihilominus sunt qui contrarium sentiant, quia casus iste non inuenitur exceptus, neque à simili argui potest in hoc genere, sicut non arguitur ex venditione ad renuntiationem in fauorem Minoris. Intercedit etiam hic Religionis fauor, propter quam solent etiam quæ strictè iuris sunt, vt priuilegia, de personâ ad personam extendi; quia summa est ratio, quæ pro Religione militat. L. Sum personæ. D. de Religio. & sumpti. funer. Videatur P. Sancius Lib. 8. de Matrimonio, Disput. 1. num. 13. vt euidentiùs sit odia non amplianda

Contrariè placere alijs, & quæ eorum fundamenta.



Reſoluitur enim Rege circa hoc non conſenſu agendum.

Pro negatiua ad dicitur reſpondetur.

Conditio nem non tranſferendi in Eccleſiam ut queat Rex apponere.

plianda circa illam, iuxta notiſſimam Iuris regulam, quod odia reſtringi, fauores conuenit ampliari. Et quod alter non debet alterius odio prægruari 15. & 22. in 6. Pro quo ipſe Dom. Solorzanus Tomo 2. Lib. 1. Cap. 14. num. 70. Ceterum hæc omnia parum proderunt, quando quidem res iſta ad tribunalia eſt Regia deducenda, in quibus contra Eccleſias, & Religioſos ſententia proferenda. Vnde expediet non armis iuſtitie certare, ſed benignitatem Regiam implorare. Neque enim inſolitum eſt officia talia Religioſæ alicui familiae concedi, per ſubſtitutos admiſtranda. Adducta autem in contrarium non vrgent: ſimilitudo namque rationis in venditione deficit, vt vidimus. Quod non moriatur poſſeſſor, fauore Religionis poteſt admitti: cum poſſit etiam accidere, vt officium alicui venditum numquam fit ad Regium patrimonium reuerſurum. Cum etiam per ſubſtitutum adminiſtrandum fit, nihil ſequitur Religionæ quieti, aut Eccleſiæ ſtatui diſconteniens. Quod autem ad diuerſitatem fori attinet, minimi eſt impedimenti, ſiquidem cum ſubſtituto agendum, qui ad laicum forum penitus pertinebit. Faciat ergo Rex vt libuerit: cum enim liberè vendat, emptorem poterit, quem maluerit, admittere, & non ſibi bene vitum reprobare; conditioneſque apponere congruentes, etiam Eccleſiaſticis excluſis, vt in legibus, quæ de fideiuſſoribus agunt, & Eccleſiaſticos non eſſe admittendos edicunt, ſed laicos, quos vulgò dicimus Abonados, id eſt, bonis præditos. Similiter etiam Rex Mineræ auri & argenti Eccleſiaſticis vendere prohibet: & iis, quibus tradit, ſub eâ conditione concedit, vt ad eos non perueniant, & ſic alia, quæ in odium Eccleſiaſticorum non ſunt, ſed ſecuritati propriæ conſulendo. Vt ſi quis nolit Clerico domum locare, eò quod ipſos difficiles in ſoluendo ſit expertus. Videatur P. Sancius Lib. 2. Conſultorum Cap. 4. Dub. 57. num. 7. 8. & 9.

S. VIII.

An vindicato per retractum Regio Officio, à Regio Ficalis, quod renuntiatarius volebat ſibi, ſed iuxta minorem eſtimationem, quàm reuera haberet, ad id teſtibus falſis inductis: ſi poſtea pluri vendatur, debeat renuntiatario id, quod ipſi debetur, reddi ſecundum eſtimationem, quam prætendebat ipſe, aut ſecundum eam, quam venditio ipſa maiorem oſtendit.

Cafus ap- poſiti deci- ſio iux- ta Regium reſcriptum ſtatuentia.

182 E. G. Volebat renuntiatarius valere duodecim mille, vnde ipſi danda ſex, ſi primus ſit, aut octo, ſi ſecundus. Venditum eſt autem officium viginti quatuor, an danda duodecim, aut ſexdecim? Et in fauorem renuntiatarij iudicatum in Quitenſi Prætorio, affirmat Dom. Solorzanus Tomo 2. Lib. 5. n. 118. & in Politicâ pag. 1006. in principio. Contrarium tamen pro lege ſtatutum in Regio Conſilio ſtatuitur ibidem. Quod & tenet D. Eſcalona ſ. 5. num. 4. & iure quidem optimo, tum ex iis, quæ

prior ex citatis adducit: quia ſcilicet nulla renuntiatario inferitur iniuria, ſi eidem detur, quod ipſe fiſco dandum contendebat. Licet ad hoc reſponderi poſſit, illum quidem ita contendiſſe, ſed cum ipſi fuerit fruſtratum intentum, ſtandum verò officij pretio, quia ob prætenſionem ſuam officium valorem proprium non amiſit. Ideò euidenti aliâ agendum ratione, ex eo ſcilicet quod per retractum fiſcus dominium acquirit officij, & ita vendit vt poteſt, nec tenetur ex ſuo dare alteri, qui ius nullum erga officium habet: domini enim translatione ius omne amiſit, ſicut amitteret, ſi priuatus quiuuſ illud pretio obtinuiffet. Iuuat Cap. Ex eo non debet quis fruſtrum conſequi, quod niſus eſt impugnare. Et in penam quidem delicti priuari penitus omni emolumento potuit, vt non ſit mirum ſi cum eo ita agatur, vt aliquid de pretio recipiat, in cuius poteſtate quantum eſſet illud valiturum officium ignoratur.

Illius fun- damenta.

S. IX.

De obligatione petendæ confirmationis.

183 Debet qui emit confirmationem à Rege intra quadriennium petere, licet pro aliquibus remotiſſimis Prouincijs quinquennium, aut ſexennium indultum inueniatur. Intra ſeptuaginta autem dies (aliâ ſexaginta, vt apud Dom. Solorzanum citato Lib. 5. num. 105.) le debet renuntiatarius Proregi præſentare aut Gubernatori, ſecundum quod in Regia ſchedula iam citatâ contentum. Id ſi non fecerit, officium amiſſit, & de illo Regis nomine diſponetur, duabus tertijs partibus eidem datis, & alia Regio fiſco adiudicata. Vbi quidem renuntiatario onus tantum præſentationis intra dictum terminum conſtituitur, non verò primo poſſeſſori. Cuius ratio eſſe poteſt: nam in renuntiatione fraus aliqua præſumi poteſt ob dilationem, non verò in primo poſſeſſore, qui officium eſt auctoritate Regiâ conſecutus.

Pro con- firmatione habenda quid iuxta leges ſtatuentium.

Primi poſ- ſeſſoris, & aliorum diſcrimen.

184 Vterque autem confirmationem Regiam debet poſtulare. Circa quod dubitari poteſt, an ſi officium propter moram imputabilem amittatur, & ſic Regio vendatur nomine, pluriſque quàm emptum ſit, habenda ſit ratio valoris præſentis ad reddendas partes dictas, an eius, in quo eſt prior emptio celebrata, aut renuntiatio facta. Et videtur vt certum aſſerendum habendam præſentis temporis rationem: quia aut officium eſt ſub dominio eius, qui amittit, & ſic pretium ad eum ſpectat, vt rei propriæ, penâ conuentionali deductâ. Aut dominium tranſlatum eſt in fiſcum; & ita etiam eum ſuo valore tranſit, neque eſt cur debeat prior poſſeſſor eo defraudari. Si enim penam meretur, iam eam ſoluit tertiz partis, & officij etiam amiſſione. Quod ſi mora imputabilis non fuerit, quia ſcilicet ſubmerſa natis, in quâ Acta ferebantur, aut aliud impedimentum minimè voluntarium ſuperuenit: maniſteſtum eſt amiſſionis penam nõ incurri; mora enim non nocet impeditis, quibus nec tempus currit. Sic in Cap. Non eſt, de regulis iuris in 6. vbi ſic dicitur: Non eſt in mora, qui

Cap. Non eſt. Cap. Im- putati- qui

Regiorum Officialium circa prædita obligationes.

Notandum pro venditione deficiente confirmationem.

Commenda quid.

Circa numerum tributarium ſtandum eſſe informationi à lege præſcriptæ, & non retaxatione vltima.

Obiectio ex Ficalis citatione dilata.

qui poteſt exceptione legitimâ ſe tueri. Et Cap. Impu- tari, ibidem. Et Cap. Cum non ſtat. & 185 Et quia de Regijs Officialibus titulus iſte procedit, adnotare oportet illos grauiter peccare, ſi quadriennio exacto ad confirmationem impetrandam, & præſentandam conſeſſo, illam non exigant, quia illâ deficiente, officium amittitur. Vnde & ad reſtitutionem tenentur damni inde Regio Fiſco ſuperuenientis, iuxta ſæpiùs dicta. Si tamen poſt quadriennium Confirmatione præſentata fuerit, non eſt admittenda: ſed neque officium vendendum: quia Regium Conſilium ſolet circa hoc benignè ſe gerere, & indultum impartiri. Sic enim accipiendum quod dicitur in ſchedulâ Ann. 1627. non debere admitti, niſi priùs Regium Indiarum Conſilium de re totâ certioretur. Non ergo vendi officia debent: alioqui inutilis eſſet certioratio. De quibus hæc ſatis.

CAPVT XXIII.

De Regijs Commendis, & magnis inde prouentibus.

186 Commenda dicitur ius ad tributum Indorum: ratione ſiquidem illorum talia tributa recipientibus commendati manent, vt ipſorum deſenſioni, inſtructioni, & temporali ac ſpirituali proſpectui curam debeant ſollicitam adhibere. Commenda ergo vt ad Regem ſpectat, & ipſius eſt incorporata Coronæ, ius ad tributa importat; de quibus dictum Titulo 1. Cap. 16. Nonnulla autem hoc loco adijcienda, ex quibus illud quaſtionem pulſat, an ſit ſtandum Indici Prætoris informationi coram Notario Prouinciæ, Indorum Parocho, atque ipſorum Regulo ſeu Gubernatore, juxta præſcriptam formam, ex quâ conſtat tot & non plures eſſe Indos tributarios; vel turâ conſcientiâ poſſit tributum numeri maioris exigi, ſecundum retaxam vltimam: ſic enim in vſu eſſe conſuevit. Et videtur maniſteſtum ſtandum eidem, quia authentica eſt, & fidem faceret in quocumque alio negotio: ergo & in iſto; ex cuius oppoſito plures iniuſtitiz ſequuntur, dum alij pro alijs coguntur ſoluere: cum vix ad designatam vni- cuique taxam ſufficientes habeantur. Et quidem retaxatio, ſeu reuſtitatio, juxta quam exigi tributa ſolent, à Prætoribus faciendâ decernitur in Regiâ epistolâ Anni 1571. ex quo conſtat de eorum rectâ agendi ratione plenam fiduciam haberi: ergo & credendum illis in prædictâ informatione, quæ vim habet retaxationis. Quod ſi dicatur retaxationem ſeu reuſtitationem debere fieri cum citatione Regij Ficalis, & Regiorum Officialium, qui designatori aliquem ſunt, retaxationis actis adfuturum, vt conſtat ex adductis à D. Eſcalona Cap. 15. num. 3. & ita, dum hoc non fit, Prætoris informationem non ſuſſistere ad effectum remittendi tributa non ſoluta. Id certe non videtur obſtare: nam citatio talis, & designatio intereſſentis actis, ad plenam & ſolemne rei talis conſtitutionem pertinet, & vt eâ poſitâ non poſſit vltior inſpectio fieri ad taxæ complementum, quæ priùs fuerat conſtituta. Ex

quo non ſequitur ſufficientem fidem non facere inſtrumentum Prætoris, ad non vexandum illum, & præſertim Indorum Regulos; cum tamen vltior fieri inſpectio poſſit, vt tributarij, qui deſunt, inueniantur. Et Indos quidem ſua oppida paſſim deferere nec facile à Regulis deprehendi poſſe, verius eſt quàm vt indigeat probatione. Vnde iniuſte vexantur illi, vel quia non quaerunt, vel quia abſentia cauſâ præſumuntur, dum ſuis eos commodis ſeruire faciunt, in cuſtodiendis ſcilicet gregibus, aut nundinationibus exercendis: quod non raro euenit; ſed in formatione præſatâ, ſuſpicio remouetur.

187 Illud etiam quaſtionis eſt, an ſpecies, quæ præter pecuniâ vt partes tributi penduntur, iuſte exigantur modo in eadem quantitate, quâ olim, cum modò pretioſiores habeantur. Videtur namque illud minùs æquitati conforme, vt ſcilicet onus maius ſit, cum perſonæ non habeant mutationem. Sed dicendum id fieri turâ conſcientiâ poſſe: quia cum rerum pretia paſſim mutantur, moleſtiſſimum eſſet & ferè impoſſibile tributa ad quotam prioris valoris reſecare. Præterquam quod ſi ſpecies pretioſiores ſunt, etiam eâ ex parte ſubſtantia Indorum augetur, cum maiori pretio poſſint fructus & textilia ſua vendere, exemplo decimarum, quæ conſtantes ſunt quidquid circa earum valorem diuerſitatis obſingat: Decimæ enim & tributa comparari ſolent, ex adductis à Dom. Solorzano Tomo 2. Lib. 1. Cap. 21. num. 1.

Species poſſe exigi modo in eadem, quâ olim quæ- ritate, licet mutetur valor.

188 Quæritem poteſt an ad vendendas ſpecies nouem præconia ita neceſſaria ſint, vt ea omittere graue peccatum ſit, obligationem reſtitutionis inducens, nam totidem lege conſtituta ſunt. Vbi certum eſt, ſi ex omiſſione detrimentum aliquod Regio patrimonio ſuperueniat, obligationem reſtitutionis incumbere, iuxta ſæpiùs dicta. Si autem attentis circumſtantijs non indicentur neceſſaria, & ſolum occupationem Regijs pariant Officialibus, nulla ſubert obligatio. Quo euentu ſine infidelitate aut mendacii teſtari Tabellio poterit neceſſaria præconia præceſſiſſe juxta legem: quia licet nouem non fuerint, juxta legis mentem pauciora ſufficiunt, quando ex pluribus nihil ſperari maioris intereſſe poſſit. Immo etſi dicat nouem, non videtur grauiter peccare, quia mendacium in re nullius momenti accidit: & vt videtur, etiam veniale, intelligi poſſunt nouem non numero, ſed virtute aut æquiualentia: non obſtantibus quæ adducit P. Onate Tomo 1. Diſput. 46. n. 102. & 103. quia nec iuramento, nec legibus, aut fidei publicæ id videtur contraire. Iuramentum enim grauem obligationem ſupponit: & vbi illa non eſt, nouam non addit, vt dictum aliâs, & præſertim Titulo 6. num. 4. Leges autem non vrgent, vt vidimus; nec præſidium publicæ fidei vacillat, quia in eo non læditur, cum damnum ex prædictâ atteſtatione ſequatur, in quâ & veritas iuxta æquiualentiam dictam reperitur. Ampliora loco citato initio Capituli dicta, & dicenda plura cum de Commendatarijs inferius diſſeremus, Titulo inquam 7.

Nouem præconia ad earum venditionem non ſemper neceſſaria.

Tabellio vt ſilem facere poſſit, Notanda doctrina